



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs I. De actione productiua corporis naturalis secundum rationem
communem actionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

LIBER QVINTVS

D E

Actione productiua corporis naturalis.

TRACTATVS PRIMVS.

De actione productiua Corporis naturalis Secundum rationem communem actionis

CAPVT PRIMVM.

An actio ut sic distinguatur ab agente, passo, & termino?



COMMUNIOR, & verior sententia est, distinguere ea distinctione, quæ realis modalis, siue modi à re appellari consuevit: quam D. Thomas, Scotus, Durandus, Aureolus, Bacconius, Argentinas, Venetus, Suarez, Valquez, Molina, & extra scholam Nominalem ferme omnes sequuntur: eam in hunc modum suadeo: potest dari hoc agens, hoc passum, & hic terminus quin hic terminus ab hoc agente generetur; igitur actio generatiua à triplici illo conceptu realiter distinguitur: cum ergo non tanquam res à re aliâ sine fine abiremus, certe tanquam modus à triplici illo conceptu distinguere debet: consequentia perspicua est, quia separabilitas realis, realis distinctionis infallibilis index est: antecedens verò probatur, quia Danielis 3. cap. cum tres iuvenes Hebræi in ardentem fornacem, Barbari Regis iussu, coniecti essent, & inter medios flammarum globos nil ab igne paterentur; in eo certe euentu reperiebatur hic ignis, hoc passum applicatum, & hic natiuus calor, qui certe ab igne illo Babilonico proficisci potest, & tamen calor ille non ab igne, sed ab intrinseco productus est.

Respondent primò nonnulli Thomistæ, actionem non esse hoc agens, hunc terminum, passumve vtrumque, sed hunc terminum prout ab hoc agente, passumque efficientem & hoc agens prout in hunc terminum influens. Verum in iis præpositionibus *ab*, & *in* fallit modus actionis, quem intendimus, vt superiori argumento virgeri potest. Respondent secundo Nominales, actionem consistere in agente, termino, passo, & voluntate Dei efficaci, quia decernit, vt hic terminus dependenter ab hoc passo, ab hoc agente producatur. Verum hæc solutio in simili supra impugnata est, cum de vnione ageremus: intelligibile enim prorsus est, eequid eius voluntatis obiectum sit, nisi ipsa sui obiectum sit: quod ad explicandam actionem futile quidem est.

Secundò, quod voluntas verbi gratia producat actum amoris, ei formaliter liberum est; at quod Deus cum actum velit, aut non velit, non ei, sed soli Deo liberum est: ergo productio amoris in voluntate Dei sita esse nequit. Tertiò

(& paulò aliter) actio quatenus ab agente distinguitur, & media ea agens operatur, ab agente produci debet; aliâ qua ratione per eam agens terminum producere poterit: haud secus ac vna causa media aliâ à se distincta producere aliquem effectum nequit, quin causam ipsam producat: at agens creatum volitionem Dei producere nequit: ergo media illa nil aliud producere potest. Quarta, & recidit in idem, actio productiua amoris, qua voluntas in eum liberè influit, aut in volitione Dei efficaci, aut inefficaci consistit: neutrum dici potest: ergo: non primum, quia aliâ actio illa libera esse non posset, sed potius determinata ad vnum: non secundum, quia potest dari hæc voluntas Petri verbi gratia hic amor, & hæc volitio Dei inefficax, quin hic amor (si quod probabile est, & pro nunc supponi potest, & debet) qualitas sit, quin à Petro producatur, vel quia à solo Deo producitur, vel certe quia à Paulo producitur: igitur hoc, quod est, hunc amorem ab arbitrio Petri produci, in eius arbitrio, & ipso amore, ac volitione inefficaci Dei consistere nequit.

Quod de actione generatiua hætenus ostensum est, idem de actione creatiua, conseruatiua, omnique aliâ causalitate cuiuscumque causæ superiori argumento ostendi potest. Quæ verò in contrarium opponunt Ochamus, Gabriel, Gregorius Ariminensis, nostræque Gregorius 1. part. q. 2. punct. 1. in simili soluta sunt, cum de vnione ageremus.

CAPVT II.

An actio terminum naturæ anteuertat?

NON nulli recentiores, quibus multum defero, contra communem antiquorum sententiam sentiunt, actionem non esse priorem natura termino, sed se habere omnino concomitanter cum illo. Quorum primum fundamentum est, quia munus actionis est determinare indifferentiam potentie ad hunc actum, etiam in sensu composito ipsius potentie, & actus, vt capite præcedenti explicuimus: at hoc munus exercere potest actio absque vlla antecessione naturæ: igitur actio eiusmodi antecessione minime efflagitat, cum ad suum munus exercendum minime necessarius sit. Minor, in qua est tota difficultas, suadetur

suadetur primò à priori, quia ubi actio respiciat essentialiter hunc terminum, & hanc potentiam productiuam, sufficienter determinat indifferentiam vtriusque: igitur ad exercitium huius muneris nulla requiritur antecessio. Secundò à paritate, quia vnio determinat indifferentiam extremorum, quæ simul esse possunt, absque eo quod coalescant ad totum aliquod componendum; & tamen vnio non antecedit, sed potius subsequitur extrema: igitur similiter actio, &c. Idem argumentum fieri potest in vicatione respectu loci, & locati; in duratione respectu temporis, & temporati; & vniuersum in omnibus modis respectu extremorum, quæ modificant.

5. Secundò probatur idem intentum; quia in opposita sententia nullum peccatum, nullave malitia, aut dignitas supplicij daretur in amando formaliter; contra illud Augustini definientis, peccatum per hoc, quod sit dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei: ubi in concupiscentia, seu amore, aut prosequutione obiecti turpis malitiam, & peccatum agnoscit: sequela verò probatur, quia actio amoris haberet commune cum cæteris actionibus præcedere naturam amorem, quem producit: at pro illo priori concipitur tota malitia, sicut tota libertas, & indifferentia: igitur non consistit formaliter in ipso amore, & prosequutione obiecti turpis.

6. Cæterum potior mihi est communis scholasticorum sententia, qui vno consensu tribuunt prioritatem naturæ actioni comparatione sui effectus. Quod enim omnes statuunt, actionem esse viam ad terminum, arguit aliquam prioritatem in actione respectu termini: cum ergo eiusmodi prioritas nec temporis, nec loci esse possit; eo quod actio, & terminus in eodem tempore & loco vel semper, vel plerumque sint: nec etiam possit esse in subsistendi consequentia; cum potius terminus in subsistendi consequentia actione anterior sit, & à termino non teneat consequentia ad actionem, sicut è conuerso: reliquum est, vt solam prioritatem naturæ in actione respectu termini omnes agnoscant.

7. Argumentor secundò: quia actio est determinatio potentie ad conferendam existentiam effectui: at sine antecessione naturæ hoc præstari nequit: igitur actio effectum naturæ antecedit: minor suadetur, quia si actio determinaret ad existentiam effectus absque præcessione naturæ, possemus similiter comminisci causam aliquam determinare ad existentiam effectus, quin antecederet natura effectum: consequens autem, quamuis à pauculis antiquis admittatur, antiquatum modò est, & à scholis merito relegatum: sequela probatur, non alia ratione causa antecedere deberet effectum, nisi quia eum ad existendum determinat: at in opposita sententia munus determinandi ad existentiam optimè intelligitur absque præcessione naturæ.

8. Argumentor tertio: cognitio creata dirigens ad amorem nequit non antecedere naturam amorem, vt aduersariis etiam exploratum est: non alia de causa, nisi quia ratione suæ directionis habet mouere, & determinare voluntatem ad amandum: igitur pari ratione actio, quæ ex suo conceptu determinat, & mouet potentiam non intentionaliter, sed quod plus est physice ad ter-

minum illum naturæ anteuertit. Quarta argumentor ex Aureolo in 2. distinct. 1. quæst. 9. rem produci à Deo est, esse effectiue à Deo: at rem esse effectiue à Deo, est prius natura, siue ratione à quo, quàm eam existere secundum se: igitur productioni rei, &c. minor suadetur, quia non idè res est effectiue à Deo, quia existit, sed potius è contrario, ideo existit, quia est effectiue à Deo. Ergo. Hac ratione obiectum diuinæ sciencie ea quodammodo prius est, quia est vera hæc causalis, & PP. solemnis, ideo res fore videtur à Deo, quia futura est, & non è conuerso.

Argumentor tandem autoritate Aristotelis, cui in quæstionibus de homine (cuiusmodi est præsens) fides præcipue habenda est: quarto ergo Metaphysicæ cap. 5. ita loquitur: *aliquid est aliud præter sensum, quod sensum necessario antecedit, quippe cum id, quod mouet, prius natura sit eo, quod mouetur*: at actio mouet ad existentiam termini. Rursus hæc habet 2. Metaphysicæ cap. 11. ibi: *semper enim est medium inter esse, & non esse generatio*: igitur actio generatiua est prior, quàm esse rei, & posterior, quàm eius non esse; cum ergo nequeat esse prior tempore, quàm esse rei; sicut est posterior tempore, quàm eius non esse, reliquum est, vt sit prior natura, quàm esse rei. Deinde subiungit Philosophus ibi: *non enim fit ex generatione, quod sit, sed est post generationem*: non tempore, vt compertum est: ergo natura. Præterea id ipsum habet lib. 9. Metaphysicæ cap. 6. ibi: *actus enim numero est post generationem*: & paulo superius: *posterior namque generatione est, qui secundum numerum actus est*: quæ clariora sunt quam vt expendi debeant: Aristotelem sequuntur D. Thomas 1. p. quæst. 45. art. 3. ad 3. Vasquez 1. p. disp. 173. cap. 4. num. 11. & omnium clarissimè Pater Suarez 1. Metaphysicæ disp. 28. sect. 2. num. 18. prope finem ibi: *comparatione effectus simpliciter est prior natura causa in actu etiam vt actu agens, quia actio ipsa est prior natura suo termino* & 1. 2. tractatu 3. disp. 8. sect. 2. ibi: *secundò concipi potest (puta voluntas) vt prior natura suo actu in quantum ordine natura actio antecedit terminum*, &c. ubi actioni productiuæ amoris, in qua specialis difficultas prioritatem naturæ attribuit.

Ad primum argumentum respondeo: vt actio exerceat munus determinandi, ad existentiam termini dependenter ab hoc principio, non sufficit, quod essentialiter respiciat vtrumque extremum absque eo, quod alterum naturæ anteuertat, vt conspiciere est in potentia, & actu vitali: nam vnio vtriusque vtrumque essentialiter respicit, & tamen non determinat potentiam vitalem, vt actui vitali existentiam conferat: igitur solus respectus essentialis seorsim ab antecedentia non sufficit ad munus determinandi, de quo agimus: vnio autem & reliqui modi in argumento oppositi propterea extrema sua ordine naturæ non anteuertunt, sed potius subsequuntur, quia nullus eorum determinat rem ad hoc, vt absolute existat, ad modum quo actio determinat, sed præcisè ad hoc, vt existat tali modo, nimirum in tempore, in toto, in loco, in subiecto, &c.

Ad secundum argumentum respondeo primò: nihil interest malitiam, & libertatem non repetiri formaliter in amore, sed tantum denominatiua,

natiue, & mediatè ab actione præcedente: quod autem Augustinus supra & alij Patres innuunt peccari, & delinqui amando, & concupiendi obiectum turpe; id intelligendum est de amore in fieri, qui est ipsa actio productiua amoris, non de amore in facto esse: quæ solutio eò probabiliore est, quò communior sententia constituit malitiam in priuatione rectitudinis subsequuta ad actum, non vero in actu ipso, siue amore, nisi ad summum inchoatiue, & radicaliter. Secundò respondeo, amorem ipsum esse immediatè & formaliter liberum; siue, quod perinde est, esse ita immediatè, & formaliter productum, vt non produci potuerit: tametsi enim actio terminum naturæ antecedit, siue inter potentiam, & terminum media sit: cæterum non antecedit, nec mediat nisi tanquam ratio producendi: hoc autem non obstat, quominus amor immediatè & formaliter sit productus cum indifferentia ad vtrumlibet, ac proinde liber; qua ratione vnum extremum immediatè, & formaliter vnitur alteri, quamuis vnio inter vtrumque mediet. Ex his constat, quo iure nonnulli decreta Dei efficacia concomitantia tamen, & libertati consona admittant.

CAPVT III.

An actio suapte naturæ successiva sit?

12. Iohannes Cardinal. de Lugo disput. 19. de Incarnat. sect. 1. num. 10. docet, actionem omnem singulis momentis variari, esseque re vera successiuam, & à duratione prorsus indistinctam. Eandem sententiam complures Recentiores postea sequuti sunt, & adeò illustrarunt, vt questio hæc superioribus sæculis vix, aut parum agitata, nunc celeberrima sit, & paucis quidem secunda in tota Philosophia.

13. Præfatæ igitur opinionis primum fundamentum est huiusmodi. Duratio non est consequens rem durantem: igitur est productio rei, & e conuerso. Consequentia liquet: quia productio nihil aliud est, quam prima determinatio rei, vt existat, & extrahatur à suis causis: at duratio, eo ipso quod non sit consequens rem productam vt productam, est prima determinatio illius vt existat: determinatio quidem, quia fieri nequit, vt res duret quin existat, quod perinde est, ac durationem aliquo modo determinare rem ad existendum: prima vero, quia aliam determinationem non supponit: si quam enim supponeret, maximè actionem, qua tamen posterior non est, si verum est antecedens argumentis. Quod autem verum sit.

14. Probatur primò, quia ex eo quod duratio sit consequens rem durantem, & hæc illam antecedens, sequitur dari & non dari hanc ipsam antecedentiam: consequens est absurdum: ergo & illud ex quo sequitur. Sequela ostenditur: nam pro eo signo, quo res existens antecedit durationem B, v. g. vt proxima causa illius, intelligitur existens in instanti B: at existere in instanti B, est effectus formalis durationis B, igitur intelligitur pro illo signo duratio B, ac proinde res vt existens, & producta antecedit pro illo si-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

gno priori, & non antecedit durationem B, vt prædictum est. Maior ostenditur, pro illo signo intelligitur res existens immediatè post instans A; at existere immediatè post instans A, est formaliter existere in B: ergo, &c. rursus hæc maior probatur, in illo signo intelligitur res durans cum necessitate causandi durationem B, quia res durans non comparatur cum sua duratione vt causa libera, sed vt causa naturalis, & necessaria; sicut cum vocatione, & cæteris proprietatibus; at hæc necessitas oriri nequit nisi ex eo, quod intelligatur existens immediatè post instans A: ergo, &c.

Secundò probatur idem antecedens: res existens, & producta pro signo, quo concipitur anteuertens naturæ durationem B, concipitur proximè expedita ad illam causandam: at hæc expeditio proxima ad eam causandam tantum reuocari potest in existentiam rei immediatè post instans A, antecedens: igitur pro illo priori existit immediatè post instans A, atque adeò existit in instanti B, sequenti: hic autem est effectus formalis durationis B: igitur concipitur pro illo priori duratio B, quod repugnat, si duratio consequitur rem durantem: non est ergo eam consequens.

15. Tertiò probatur idem antecedens: pro illo priori intelligitur in re existente, & producta necessitas causandi durationem B, potius quam aliam; at hæc necessitas solum proficisci potest ex eo, quod tunc existat instans B, & non aliud: igitur pro illo priori & res existens, & instans B, existens: igitur intelliguntur coexistentia; quod cum fieri nequeat, nisi per durationem B, certè pro illo priori intelligitur duratio B, aliundè iuxta aduersarios in illo priori non intelligitur: igitur ex eiusmodi prioritate repugnantia, & contradictionem implicantiā deducuntur. Maior probatur; tum, quia vt proximè superius dictum manet, res existens, & producta non comparatur cum duratione, vt causa libera, sed necessaria, & naturalis; quemadmodum cum cæteris suis proprietatibus: igitur pro priori concipitur cum determinatione, & necessitate causandi durationem, quam pro posteriori habitura est: tum etiam, quia actus primus proximus tunc habet necessitatem causandi secundum, quando cum eo connectitur essentialiter, & ab illo est indiuiduus, & inseparabilis penes omnem potentiam, tam ordinariam, quam absolutam; in qua indiuidione, & inseparabilitate stat discrimen causæ necessariae à libera: at actus primus proximus rei existentis ante durationem B, ab ea omnino inseparabilis, & indiuidua est: siquidem nequit res diuidi, ac separari à duratione B, nisi vel non existat omnino, vel existat cum diuersa duratione, res autem cum non existit, vel cum existit affecta distincta duratione à duratione B, non est in actu primo proximo ad causandam durationem B. Quis enim dicat, me non existentem, vel modo tantum existentem posse proximè expediti ad causandam durationem; qua coexistam Antichristo, & non potius ad hunc actum primum proximum, & expeditum requiri, vt futura ad illud instans sæcula, & tempora elaborantur? res ergo vt existens in actu primo proximo ad causandam durationem B, nulla po-

T testate

testate ab eadiuidi, siue sine ea reperiri nequit. Porro minor syllogismi suadetur: illa necessitas causandi durationem *B*, oriri nequit ab existentia rei secundum se, quæ datur in instanti *A*. antecedenti seorsim ab illa necessitate; nec etiam oriri potest à voluntate Dei efficaci ad durationem *B*, terminata; nam voluntas omnis Dei, utpote æterna, reperitur in quocumque instanti, cum tamen necessitas illa causandi determinatè durationem *B*, præ alia promiscue in quouis instanti non reperitur, sed nunc sit, cum antea non fuerit, nec postea sit futura: restat ergo huiusmodi necessitas à sola existentia instantis *B*, proueniat: ac, proinde pro illo signo antecedenti intelligitur existens instans *B*, quæ erat minor probanda.

17. Secundum eius sententiæ fundamentum est: decretum existentiae, & productionis rei præscindit ab vicatione rei, decernitque rem secundum se, nihil statuendo de vicatione, quæ ad aliam volitionem spectat: at decretum de existentia, & productione Dei non præscindit à duratione, quam res habitura est, sed potius eam simul cum existentia decernit: signum igitur est, durationem non esse distinctam ab actione, sicut ab ea vicatio distinguitur; aliàs si foret ab actione distincta perinde ac vicatio, sicut decretum actionis præscindit ab vicatione, pariter à duratione præscinderet. Minor probatur: nequit Deus decernere, ut res existat, & producat, quin eam decernat vel ut primò existentem, vel ut semper existentem, uterque autem existendi modus importat durationem, aut temporaneam, aut æternam.

18. Confirmatur, & illustratur: res pro priori signo existens est indifferens ad hanc, vel illam vicationem, cum ex ea suppositione versus hanc, aut versus illam spatij partem moueri possit: at nequit pro priori aliquo signo esse existens cum indifferentia ad hanc, vel illam durationem, sed semper cum necessitate, & determinatione ad aliquam durationem in particulari, ut superius ostensum est: igitur quia ante productionem, & existentiam rei præcedit decretum alicuius determinatæ durationis: sed non est, cur decretum durationis præcederet productionem rei, nisi quia simul est decretum productionis: neque est, cur decretum durationis sit decretum productionis, nisi quia productio est duratio: igitur de primo ad vltimum duratio est indistincta à productione.

Tertium eiusdem sententiæ fundamentum est: actio libera est indistincta à duratione: ergo & quæuis alia: antecedens suadetur; si actio libera esset distincta à duratione, esset permanens & prior natura durationibus successiue fluentibus, ut ab aduersariis conceditur: at ex hac prioritate actionis liberæ permanentis comparatione durationum successiue labentium, sequitur tolli omnem rationem meriti noui, & distincti à conseruatione actus liberi, quod manifestè falsum est: sequela suadetur: quemadmodum ad meritum requiritur libertas, ita ad nouam, & distinctam rationem meriti noua, & distincta libertas, at si actio sit permanens, & prior duratione, atque adeo ab illa distincta,

dari nequit nouum exercitium libertatis distinctum ab eo, quod datur in primo instanti: nam illud nouum exercitium libertatis nequit esse actio secundum se; cum, hæc in primo instanti præcesserit: nec etiam duratio sequens nouum exercitium libertatis esse potest; siquidem ut superius visum est, actus primus proximus ad qualemcumque durationem habet necessitatem, & determinationem essentiālem ad illam; ac proinde per eam non libertas, sed necessitas, & determinatio antecedens exercetur. Quid autem aliud intelligi potest, quo denuo libertas exerceatur? Hæc huius sententiæ fundamenta.

CAPVT IV.

*Contraria sententia eligitur,
& probatur.*

19. **D**eserenda tamen non est communis Theologorum, & Philosophorum sententia distinguens actionem à duratione; quam expresse interminis ut aiunt, sequuntur Ouiedo controu. 16. physic. part. 1. à §. 8. Martinon. disp. 10. de Incarnat. section. 3. num. 28. Amicus de Angel. disp. 2. num. 228. & 229. & Suarez disput. 21. Metaphys. sect. 2. num. 6. Eam à priori suadeo, primò: aliud est, rem existere dependenter ab his causis determinatis, aliud existere in hoc determinato tempore potius, quam in alio: at munus actionis est determinare rem, ut existat priori modo; durationis vero ut posteriori: igitur actio, & duratio sortiuntur numerosa distincta, & realiter separabilia, ac proinde distinguuntur realiter: aliàs equidem nec quantitas à qualitate, nec vicatio à duratione, nec vniuersim vllus modus ab alio realiter distingueretur, & omnes modi in eodem coalescerent, quod quantum à modo, & ratione alienum sit, quis non conspiciat? Maior, quæ sola indiget probatione, sic ostenditur: illa duo ita comparata sunt, ut alterum ab altero separari possit, cum optime cohæreat rem existentem in hoc tempore, etiam facta hac suppositione habere indifferentiam, ut dependeat ab his vel illis causis; & rursus rem existentem dependenter ab his causis determinatis, etiam facta hac suppositione, habere indifferentiam, ut existat in hoc, vel illo tempore: igitur alterum ab altero distinguitur.

Argumentor secundò, ex prioritate actionis ad rem productam: siquidem productio antecedit natura rem productam: at duratio non antecedit natura rem durantem: igitur actio à duratione distinguitur: Maior ex dictis supra perspicua est: minor ex sola apprehensione terminorum constat. Quis enim concipiat prius natura rem existere in tempore, quam absolutè existere? Certè pro illo priori absolutè existeret, & non existeret absolutè: non existeret absolutè, ut supponitur: existeret absolutè, quia existere in tempore absolutam existentiam conernit?

Argumentor tertio, ex posterioritate durationis ad rem durantem, siquidem actio non est posterior

posterior natura re producta : at duratio est ea posterior : igitur actio à duratione distinguitur : Maior est euidens , aliàs pro priori aliquo naturæ res creata existeret , & non vi actionis : minor ostenditur : ideo res durat , siue existit in hoc tempore , quia absolute existit , & non è conuerso : igitur duratio est posterior , existentia : huiusmodi enim irreciproca causalis , sicut inter res indistinctas prioritatem ac posterioritatem logicam arguit , ita similiter inter res distinctas prioritatem , ac posterioritatem naturæ nusquam non arguit , vt in cognitione , & obiecto , vbicatione & re vbicata , aliisque similibus conspiciere est.

21.

Argumentor quartò , *Æternitas* , quæ est duratio propria Dei , est ipsius attributum , & subsequitur ratione nostra existentiam naturæ diuinæ , nec non determinationem , vt existat , quæ quidem ab ipsa natura diuina minimè distinguitur : igitur duratio creaturæ est attributum ipsius , eiusque existentiam & determinationem , vt existat , ratione subsequitur : cum ergo determinatio rei creatæ , vt absolute existat , sit eius productio ; sanè duratio rei creatæ subsequitur actionem qua producitur , ac proinde ab illa distinguitur . Antecedens est omnium Theologorum cum Sancto Thoma 1. part. quæst. 10. vbi ex immutabilitate Dei eius æternitatem colligit , nec nisi post quæstionem de immutabilitate Dei eius æternitatem indagar , vnde æternitatem immutabilitate , ac per consequens ipso esse immutabili posteriorem censuisse videtur . Nec valet , si respondeas , hoc argumento tantum concludi distinctionem rationis inter actionem , & durationem ; quia vbi semel in creatis actio , & duratio ratione distinguantur , non erit , cur alicubi realiter distinctæ non reperiuntur : haud secus ac animal , & rationale in nobis ratione tantum distincta , in belluis realiter distincta reperiuntur . Tum etiam , quia tamen si substantia diuina naturam diuinam non subsequatur , quasi attributum realiter distinctum , tamen in creatis aliter vsu venit : igitur quamuis duratio propria Dei , siue eius æternitas tantum subsequatur , & distinguatur ratione nostra à determinatione diuinæ naturæ , vt existat ; tamen duratio creata aliter se habebit respectu rei creatæ , & determinationis vt existat .

22.

Argumentor quintò , & præcedenti argumento lucem adhibeo : tamen in diuinis sint productiones reales ad intra , ceterum natura diuina non durat per illas , vel saltem per solas illas , sed habet æternitatem absolutam , & essentialem condistinctam ab omni prædicato notionali , & relatiuo , vt in confesso est apud omnes Theologos , & suadent optimè loca Patrum adducta à Patre Didaco Ruiz disp. 12. de Trinit. sect. 1. & 2. igitur similiter natura creata non durat per productionem aliquam realem , sed per modum à productione distinctum . Nec valet , si respondeas , productionem realem habere rationem durationis comparatione solius rei , quam producit : productiones autem ad intra in diuinis non producunt naturam , sed solas relationes : vnde non natura , sed relationes per actiones ad intra durabunt . Hoc , inquam , refelli potest , primò : quia in sententia negante tres æternitates relatiuas , proprietas relatiua per se produci-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

tur , quin per se , sed per prædicatum absolutum , & essentialiter duret . Secundò , quia productio ad intra licet solam substantiam , & non naturam producat , naturam tamen substantiam denominat : igitur quamuis naturam non producat , eam tamen durantem denominabit , vbi semel duratio non minus , quam substantia esse statuatur .

23.

Argumentor sextò : stante eodem principio producente , & eodem termino producto nequit productio eadem non esse : at in quocumque instanti principium productuum Angeli , verbi gratia , est idem , cum sit solus Deus , in quem nulla mutatio , aut vicissitudinis obumbratio conuenit , & Angelus productus est idem : igitur in quocumque instanti productio Angeli est eadem , & non varia , & successiua pro varietate instantium labentium : maior aperta videtur , vbi enim causa sit eadem , & effectus non diuersus ; quæ , oro te , diuersæ actionis necessitas , aut utilitas esse potest ? Et declaratur à simili : implicat actionem intentionalem esse diuersam , quin ea diuersitas à diuersitate principij , aut termini originem trahat : ergo similiter , &c. Antecedens suadet de actione intentionali cognoscendi obiectum (misso amore , cuius eadem est ratio) eo ipso , quod vna cognitio diuersa sit ab alia , non potest non esse , aut de obiecto diuerso , aut ab intellectu diuerso , aut certa diuersa specie : igitur actio intentionalis principio , aut termino inuariato variari nequit .

24.

Argumentor septimò : Motus solis , verbi gratia , per orbem aut circulum , quem spatio diurno circumlabitur , à duratione distinguitur : at motus ille coalescit ex diuersis actionibus , quibus plures vbitates solares aliæ post alias producuntur : igitur omnis actio à duratione distinguitur : si enim actiones successiue , & quæ terminum suapte natura transeuntem causant , adhuc à duratione distinguuntur ; potiori iure id de actione productiua rei permanentis , & minimè fluxæ , aut instabilis dici debet . Maior suadetur : potest idem numero motus plus , aut minus durare : at idem numero motus durationis plus , aut minus durare nequit , cum determinatum temporis spatium essentialiter respiciat : igitur motus distinguitur realiter à duratione : maior probatur , quia potest idem numero motus esse tardior , aut velocior ; quemadmodum eadem numero quantitas permanens potest esse rarior , aut densior : at motus est tardior , aut velocior pro ut plus , minusve durat .

25.

Tandem argumentor , Quod est immortale , & æternum , ab vno momento , & puncto temporis pendere non potest : at quævis actio creatiua est immortalis , & æterna : igitur nulla creatio Angeli ab vno temporis momento essentialiter pendet , ac per consequens singulis momentis actio creatiua Angeli alia , atque alia non est , pro ut ad durationem oportet : minor suadetur , quia actio creatiua Angeli vel in volitione Dei , vel in ipso Angelo sita est , & ita immortalis non esse nequit : vel , quod aduersariis duntaxat reliquum est , in modo aliquo creato , qui Angelo essentialiter adhæreat , eius creatio sita est : & ita eam immortalem esse hac ratione suadeo , quia ideo anima rationalis est immortalis , & æterna (idem de Angelo , & materia prima

F 2 iudicium

iudicium esto) quia creatur: at creatio Angeli in modo ei intrinseco collocata necessario creatur: ergo est immortalis: minor suadetur, tum quia quemadmodum vnio vnire nequit extrema, quin ipsa vnatur; aut generatio generare, quin ipsa generetur; aut duratio, & vbicatio in tempore & loco constituere, quin ipsa tempore, & loco commensae sint: ita similiter creatio Angeli eo ipso, quod modus sit, creare non poterit, quin ipsa creetur: tum etiam, quia creatio Angeli ubi in modo consistat à nullo subiecto, seu causa materiali pendere potest, nec enim à Deo, vt compertum est, nec etiam ab Angelo; aliàs prior & posterior natura esset: igitur independenter à subiecto producitur, ac proinde creatur: Maior autem probatur, quia si anima rationalis non crearetur, nec independenter à materia fieret; aqua & par esset illius conditio, ac ceterarum formarum materialium: at hæ mortales, & corruptibiles sunt: ergo & illa mortalis, & corruptibilis esset, si increata, & independenter à materia esset: ideo igitur immortalis est, quia creatur, & à materia non pendet, id quod perspicue docet Augustinus tom. 1. lib. de immortalitate animæ ibi: *temperatio autem corporis in subiecto corpore est tanquam calor, non est ergo temperatio corporis animus, sed vita est animus, etsi nulla res se deserit, & id moritur quod vita deserit, non igitur animus mori potest. En reuocat Augustinus immortalitatem, animi in eius independentiam à corpore, cuius temperatio sit; siue, quod perinde est, in independentiam à subiecto, & causa passiva oppositam dependentiæ, qua calor, & aliæ formæ subiectis suis inhaerent. Augustino Concinit Thomas 1. 2. quæst. 85. art. 6. corpore ibi: Et quamuis omnis forma intendat perpetuum esse quantum potest, nulla tamen forma assequi potest perpetuitatem præter animam rationalem, eo quod ipsa non est subiecta omnino materiæ corporali.*

CAPVT V.

Argumenta contrariorum solvuntur.

26. **P**Ro quorum solutione notanda est differentia inter similitudinem facultatis proximæ ad diuersas, & oppositas durationes *A* videlicet & *B*, & potestatem, seu facultatem proximam similitudinis earum durationum: & pari ratione distinguendum oportet inter similitudinem necessitatis ad diuersas, & essentialiter successiuas durationes, & necessitatem similitudinis earum durationum: quemadmodum communiter in materia de auxiliis distinguuntur similitudo potestatis ad amorem & odium, & potestas similitudinis vtriusque: vti enim existente odio in voluntate simul cum potestate ad odium datur potestas ad amorem, quæ est similitudo potestatis, non tamen datur in voluntate potestas ad amorem simul cum odio eliciendum, quæ est potestas similitudinis vtriusque actus: ita proportionem seruata, existente Petro in instanti *A* siue cum duratione *A* datur in eo facultas proxima, & necessitas ad durationem *B* non tamen inde sequitur quod detur in eo facultas proxima, nedum necessitas similitudinis vtriusque du-

rationis, siue, quod idem est, ad vtramque simul ponendam. Secundò notanda est differentia inter instantia naturæ, & instantia temporis: sicut enim quæ sunt simul tempore, siue in eodem instanti temporis non eo ipso simul natura, siue in eodem instanti naturæ esse debent: ita similiter quæ in eodem instanti naturæ sunt, aut intelliguntur non eo ipso in eodem tempore coexistere debent: qua ratione cum Deus videt Antichristum exiturum pro priori signo rationis, aut quasi naturæ antæternæ eius scientiam, intelliguntur simul intellectus diuinus, & existentia temporalis, quam conspiciat, quin propterea intellectus Dei, & existentia Antichristi in eodem instanti temporis, seu durationis realis, ab æterno simul sint, aut esse queant.

Quibus constitutis: ad primum argumentum respondeo primò, misso antecedenti, in quo assumitur concomitantia durationis, & rei durantis absque vlllo naturæ ordine, & negando consequentiam: optimè enim stat, durationem se habere concomitanter cum existentia, quam afficit, quin propterea eam producat, haud secus ac productio ad intra in diuinis naturam Dei natura non subsequitur, sed potius cum ea simul natura est, vt omnes fatentur, & tamen eam durare non facit: ratio à priori vtriusque est diuersum munus actionis, & durationis, vt vt se concomitentur, sicut initio capitis antelapsi exposuimus.

Respondeo secundò, negato antecedenti: ad primam & secundam eius probationem, quæ in eandem coincidunt, assero facultatem proximè expeditam, & necessitatem ad durationem *B*, quæ datur pro priori ad durationem *B* non proficisci ex eo, quod res durans existat immediatè post instans *A* ac proinde vltèrius non sequi rem existere pro eo priori in instanti *B* sed ex decreto Dei efficaci circa durationem *B* regulato per scientiam de existentia rei secundum se, ex cuius præuisione concipit diuina voluntas tale decretum. Porro sicut existit tale decretum pro quocumque instanti etiam in antecedenti, aut consequenti instans *B* non conuenit etiam pro instanti *A* & quouis alio diuerso ab instanti *B* dari facultatem proximam, & necessitatem ad durationem *B* vt enim supra prænotauimus, similitudo necessitatis, & necessitas similitudinis longè dissident: vnde in re existente pro quocumque instanti datur non solum facultas proxima, sed & necessitas ad omnes durationes, quas per totam æternitatem habuit, aut habitura est; quin tamen detur in ipsa pro vlllo instanti facultas proxima, nedum necessitas ad simul habendas, seu componendas eas durationes: quod exemplo amoris, & odij dilucidè, ni fallor, explicatum est.

Ad tertiam probationem antecedentis respondeo primò: necessitatem, quæ ad durationem *B* causandam pro priori natura reperitur, non esse reuocandam in existentiam instantis *B* pro illo priori, sed reuocari posse, & debere in decretum Dei, quo ex præuisione existentia secundum se decernit efficaciter durationem *B* in quo nullum esse inconueniens numero superiori ostensum est. Resp. secundò; eiusmodi necessitatem reuocari etiam posse in existentiam instantis *B* intellectam pro illo priori: quod enim subinde infertur existentiam

27.

28.

29.

existentiam productam coexisturam instanti B. pro illo priori, atque adeo duraturam prius natura, quam intelligeretur eius duratio, admodum non urget: ut enim superius secundo loco notatum est, recte possunt duo intelligi pro eodem signo naturae, quin propterea tempore, seu duratione reali coexistant: unde tamen pro illo priori intelligatur res secundum se, nec non instans B. necesse non erit, ut pro eo priori res, & instans B. duratione reali sibi coexistant, siue, quod perinde est, ut res in instanti B. realiter duret, atque existat.


30. Ad secundum argumentum; largior gratis decretum existentiae, & productionis non praescindere à duratione, sed in eam in diuidentem ferri: verum ob id duratio ab actione indistincta non erit, haud aliter ac decretum Dei de productione non praescindit ab existentia per eam producta; sed ambas per modum vnius decernit; & tamen actio, & existentia distinguuntur realiter. Rursus amor essentialis, & comprehensius Dei non praescindit vnam subsistentiam diuinam ab alia, sed simul, & collectiue in totas tres fertur, & tamen realiter distinguuntur: pari ratione diuinus amor dirigi nequit in obiectum aliquod creatum, quin supra se reflectat, ut supra obiectum partiale; nefas tamen esset inde colligere indistinctionem obiecti creati à diuino actu, cui obicitur: igitur quamuis decretum Dei mirime praescindat productionem rei ab eius duratione, id argumento esse non poterit ad vtramque identificandam. Secundo respondeo, negato antecedenti: ad cuius probationem aio, rem existere primo, aut semper, esse differentias accidentarias existentiae secundum se, & hanc indifferentem esse, ut vel primo, vel semper, aut etiam primo in hoc instanti, aut primo in alio existat, aut producat: unde decretum Dei terminari potest ad existentiam sumptam secundum se, & nudè ab illis differentiis accidentibus non minus, quam à differentiis vbi-cationis subsistentiae & similibus.

31. Ad confirmationem respondeo: sicut res creata est indifferens pro priori aliquo signo naturae ad hanc, aut illam vbi-cationem; ita similiter ad hanc vel illam durationem, ad quarum alterutram determinatur per decretum Dei subsequens rem existentem secundum se, & eius praui-sionem. Caterum aliter, & aliter res est indifferens ad diuersas durationes, & ad diuersas vbi-cationes: indifferentia enim rei ad hanc, aut illam vbi-cationem sapè non est indifferentia actiua, cuius determinatio oriri potest à re existente secundum se, qua versus hanc, aut versus illam partem pro libito se se mouere potest: at indifferentia rei ad oppositas durationes est indifferentia quasi passiu-a, cuius determinatio non est à re durante, sed seorsim à libertate illius à solo Deo pro suo libito decernente, ut res duret, aut non duret pro hac, aut illa differentia temporis. Deinde etiam si pro primo signo suae existentiae res haberet necessitatem ad hanc durationem, atque adeo decretum productionis esset decretum durationis, non propterea duratio cum productione confundi deberet, ut numero penè superiori explicuimus.

Ad tertium argumentum respondeo, durationem quantumlibet distinctam ab actione, nouae tamen libertatis exercitium, & noui meriti materiam toties esse posse, quoties à voluntate actus

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

liber liberè conseruatur: tum, quia duratio quamuis distincta ab actione eam concomitari potest, quin antecessio actionis eius libertati, aut meriti quidquam derogare possit. Deinde duratio actus liberi, eiusque conseruatio, quamuis sit necessaria respectu existentiae actus liberi, ab eaque velut à causa naturali proficiscatur, respectu tamen voluntatis nostrae libera esse potest, haud aliter ac ipse actus habitui necessarius, voluntati tamen liber, & spontaneus est: quid? quod aliquis contendere posset ratione nouae durationis nihil nouae libertatis actui accrescere, aliquid tamen noui meriti ei accedere; quemadmodum in sententia Scoti, actus exterior actui interiori nil libertatis, aliquid tamen meriti superaddit.



TRACTATUS II.

De Actione creatiua corporis naturalis.

CAPVT I.

Creatio corporis naturalis, & cuiusvis alterius rei in quo sita sit?

1. **C**REATIO trifariam accipi solet: primo, latissime pro quauis productione, siue eius terminus sit ens necessarium, & infinitum; siue ens contingens, & necessarium: qua ratione Sapientia Dei, siue Verbum diuinum creati dicitur. Eccles. 24. ibi: *ab initio, & ante secula creata sum*: Secundò pressius, pro sola ea productione, cuius terminus sit aliquod ens finitum, & contingens; & hac ratione personam aliquam diuinam creaturam esse, siue creati à Catholicis contra Arrium denegatur, omne verò ens praeter Deum creati, siue creatura esse dicitur: tertio, & propriissime pro ea sola productione, quae rem independentem ab omni subiecto producit, qualis est ea, qua Angelus, aut animus rationalis, aut accidentia Eucharistica producuntur. Creatio in primo sensu magna ex parte Theologici instituta est; Philosophici verò in secundo, & tertio sensu. Quod ergo ad questionem capitis titulo praefixam attinet:

2. Prima sententia est, actionem creatiuam sitam esse in sola voluntate Dei efficaci, qua existentiam Angeli, aut animi verbi gratia efficaciter decernit, eamque in nullo alio consistere posse, ita Caietan. 1. p. q. 45. art. 3. Capreolus in 2. dist. 1. quaest. 2. Richardus ibidem. art. 1. q. 2. & 3. Valentia 1. p. disp. 3. q. 2. & alij complures. Secunda sententia est, creationem, siue productionem rei ex nullo praesupposito subiecto solum consistere in ipso termino creato, Angelo verbi gratia aut animo, ita Scotus & assecla in 2. dist. 1. quaest. 5. Pater Vasquez 1. p. disp. 173. cap. 3. & alij non pauci. Tertia sententia est, creationem solum consistere in modo reali medio inter agens & terminum, & qui agente posterior, termino verò prior sit, haud aliter ac actio generatiua in entitate modali sita est: ita Pater Molina 1. p. quaest. 45. art. 3. Suarez disput. 20. Metaphys. sect. 5. numero 12. Hurtado disput. 12. Physicor. à §. 21. Arriaga

T 3 disput. 9.